Constantinus Felicianus
Episc. Cracoviensis

Collegiorum Soc. Jesu Crac. Lubl. et Sandomiriens.
Constans felicitas Poloniarum.


Sideribus cedo: timidam quia bajulus Hellen
Ponto demersi; Fidere non poterat.
Regna tulit, Regesq; Fidem IUNOSZA; nec ullum
Sensit onus pavidum; Sola procella timet.
Henricus Czech Scul. Cracoviæ

# CONSTANS FELICITAS POLONIARUM.

CELSISSIMUS PRINCEPS
*IN SZANIAWY*

# SZANIAWSKI,

EPISCOPUS CRACOVIENSIS,
DUX SEVERIÆ;

# CONSTANTINUS

RELIGIONI;

# FELICIANUS

LIBERTATI;

REGIBUS UTRUMQUE.

Applaudente sub Ingressum Cathedræ
*Regio-Episcopali Cracoviensi,*
*Dioecesanis, Lublinensi, Sandomiriensi,*
*Societatis JESU Collegiis.*

Anno Domini MDCCXXI.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Celsissimi Principis, Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Crac: Ducis Severiæ, Ordinarii Typographi,

Quis, oro Vos, plura præbuit FIDEI CONSTANTIÆq; documenta? -- Cujus, Divinior FELICITAS fuit?

*Mamertinus.*

Te verò CONSTANTINE, Incrementum maximum Boni Publici, quibus modis amplectitur Romana FELICITAS? quæ de Te tantùm expectat, quantùm NOMINE polliceris.

*Nazarius.*

# CONSTANTINE FELICIANE, PRINCEPS ANTISTES.

ENcomia Sua, Reges enarrant Regibus; Magnus, Victoriis & Pacis gloriâ, PETRUS, è Septemtrione suo, Lutetiæ Parisiorum Hospes, inscripsit Galliarum Liliis; AVGVSTVS, Secundis omnibus & Adversis Major, animo imprimit; poteratné augustiùs Regali folio? approbavit, Sanctitate Maximus CLEMENS Undecimus, innumerabili nec morituro, Vivæ Vocis Oraculo. Annotantur: in Imperio, adamante: ut adamentur quia digna; in Saxonia, gemmis: ut æstimentur quia rara; ferro alibi, nativo: ut meminerint Posteri, quia fortia. Circumferuntur: Optimorum Oculis: tanquam amænior Pupilla gestientis Patriæ; Ore: tanquam triumphans Vox Libertatis Aureæ; Corde: tanquam re-

ſpirans ex vulnere, Anima Religionis. Encomia Tua: elaborata (ô quanto in ſubitis Ingenio!) armorum Compoſitio ad quietem; limato Judicio correcti mores; in Orbitam redeuntia cuncta; Periodus malorum ultima. Oratores Tui: Pacatus Orbis Lechicus; Taciti æmularum Gentium tumultus, quibus nuper de nobis conclamatum; Silentes procellæ, poſtquam unum appoſuiſti Dexteritatis Digitum. quid ſi Dexteram? quid ſi Brachium? potenti Conſilio. Tantis, audebitné comparari, comparere, minor Eloquentia? Submiſsè fatetur: Imperatoriè dicendus venis! hærebo elingvis. Temperato clementer, Sceptro ſcriberis! calamus manu evolet; Coronata ſit neceſſe cogitatio laudantis, ipſiusq; Coronæ acumen! marceſcit laurea tenuis. Polonæ, ſemper altiùs, Famæ Polum elevas! aptare Stylum nequeo. Indulſiſti quidem tempus adornandæ venuſtati ſermonis, dilato adventu, ſubveniens verecundiæ; ne in conſpectum Purpuræ, operta confuſione, aut detritâ fronte accederet. Comebat ſe: gaudia prompta dolenter ſtabant; iſtis, menſium decas, ſeculum; illi, momentum. Feſtinaſſes! celeritas, celeriùs excuſaret inopiam, exaggerant induciæ. Expectas? plura nova ſuperveniunt, Facundiam obruunt; primus autem paratæ dictionis flos veteraſcit, rugoſus diſplicet. Non tamen conqueritur: amat, citò vinci, à properante; à cunctante, diu vinci. Non enim ſibi quærit gloriam, ſed Glorioſiſsimo Præſuli obſequium; cujus Celſitudinem, ſive linguâ, ſive pennâ æquare non poſſe, Conſtans erit Felicitas Svadæ. Hanc ergo victam, faciliq; nodo vinctam, Triumpho Ingreſsûs Deſiderati, alligat Societas JESU Minima; id unicum geminantem, quòd, duo ſimul, dant legendum, Tuæ Nomina Virtutis, Cognomina Felicitatis.

Ubi:

CONSTANTINVS adeſt; ſemper FELICIA REGNA.

***




NOminari non potes, omnium Regni Ordinum votis exorate Antistes; nisi nominetur CONSTANS FELICITAS, Tibi magìs interna, quàm Soli radius: quia Tu ipse. Promulgari se audit, dum Te proferimus; ac longiorem absentiam compensare volens diuturnitate præsentiæ, properat; aliquantum cessit rebus angustis, manebit semper; invocata vocibus iisdem. Eadem Vobis, (& ad Vos, in difficilibus) appellatio; literarum affinitás concors; inflexio simillima, ex authoritate in svavitatem desinens. Idem estis. Quid enim aliud sonant CONSTANTINUS FELICIANUS? quorum Nomen à DEO acceptum, ita virtutibus imples: ut, nulli ple-

*Nomen Celsissimi Principis.*

*Constantinus Felicianus, Constātem signat Felicitatē.*



nius

nius dederit, ambitio vacua; quorum alter, ad Te derivare ſtuduit Firmitatem immotam; alter docebat progreſſus fauſtos. Tenemus obſides, inſeparabili nexu, aptè conjunctos. Ab aſtris venerunt, Cælum poſſident in Principe; Naſcentem, in medio poſitum, complexi tenerrimè, adoptare contendentes; poſſunt gloriari adoptato. Certârunt pro ſe, vicerunt pro nobis, Te præmium conſecuti. At quali arte? Adſtabas Religio parum culta, Libertas adſtrictior, Regia Serenitas tenebreſcens; meruiſtis audire Divorum colloquia, illicia Infanti propoſita. Nempe, FELICIANUM dicentem: eſto CONSTANTINUS Religioni; CONSTANTINUM verò: eſto FELICIANUS Libertati; deinde ſimul utrumq;: ſufficies pro duobus; quod ſumus ambo, Unus eſto Regibus centum, ſpectandis in Auguſto. Concludimus: eſto CONSTANS FELICITAS POLONIARVM. Tali arte, viciſti Conſtantine Felicianum; viciſti Feliciane Conſtantinum; uterq; conſecuti SZANIAVIUM; ſed nos triumphamus. Nam Mens nunquam puſio, virili cachinno delicata ridens, aſperis delicatè arridens, malu-

iſſet

isset propendere in Constantinum sine Feliciano; promotura Optimum toto Orbe terrarum Constanter, quamvis infeliciter sibi. Displicuisset propria, placuit Felicitas, quia Poloniæ; ut autem placeret, Constans esse debuit, non, claudicando deformis. O fortem indulgentiam! quod habet Virtus charissimum, Prosperitas præcipuum, Bono publico resignavit, sibi CONSTANTINUS, non sibi FELICIANUS; nobis CONSTANS FELICITAS. Pulchra! & inaudita conventio dissidentium à seculo titulorum. Lacerabat aures inconstans Felicitas, Constantia infelix; jam demulcet sonus Felicitatis Constantis. Nomen istud, è Sacro Fonte manavit, ut elueret labem inconstantiæ; noxam demergeret. Nomen istud, scripsit indelebilis character; si non scripsisset: rectè acta in omni foro, nemini neganda, comprobarent, addendum à singulis. Quidquid & deinceps egeris PRINCEPS; Constantem Felicitatem, necessariò præstitisti. Adeste Provinciæ! vos, Indulgentissimus Præsul, absolvit à pæna fatorum imminentium; in præsenti felices reddens, de futuro securas. Nihil est respectandum ad

rotam Fortunæ, ne proterat, vel funesta vehat. CONSTANS FELICITAS, nescit occasum bonorum, quibus illustrat; ortum nescit malorum, quæ extingvit. Fatere Lechia, (imperio exempta sortis variæ, cui subsunt Imperia,) CONSTANTINO FELICIANO, Te obligatam, Nomine utiq; non uno; geminum est. Numero isto, secunda gaudent, fortunata geminantur, gemitus respirant; ac demersa, tanquam Insulæ natantes, emergunt Orientibus Geminis. Acuitis Oratores ingenii aciem? pace vestrâ, in lucem prodibit laudatio, quam secum intulit, à Numine oblatam, veniens in lucem, Antistes Illustrissimus. Cum illo nata, non aliunde translata; sine metaphora, quia sine simili; ex Nomine proprio, non communis; simplex, prout res loquitur, non assentationis simultas; prout docet fatendi necessitas, non facultas fingendi. Neq; separabit CONSTANTINUM à FELICIANO; adunantur in Principe, velut in Centro lineæ. Neq; dividet Religionem à Libertate, aut Potentissimo REGE: conjunctio, labor fuit, cui nullum par, operæ pretium. Restat igitur, Summa plus ultra dicendorum: demonstrare

id

id, quod es; quòd Nominis veritatem Summâ Sapientiâ priùs impositi ex alto, instar Coronæ, sequentibus factis asserueris. Elogium Successori Martyris STANISLAI, minimè Audax; facile, expers martyrii cogitationum torquentium. Et quoniam, CONSTANTINUM, adversa irruentia; FELICIANUM, depulsa commendant.

Prodite in conspectum, pertinaciter infelicia; mala extremè, primum occupate locum; profuistis, arte SZANIAVIANÆ Prudentiæ, innoxia. Prodeunt: spectare videor, & horreo: dùm, clausi, effractâ januâ terrores procurrunt; volant exercitus, multitudine, Orbi deterendo non impares, terrendo pares; armis ferrei, an ex ferro nati. Fulgurat perpolitis ensibus OCCIDENS; ORIENS adoratur, ut Portam providè obstructam, Bellis aperiat. Scytha conterminus, arcu stat extenso, expectans imperium, ut vibret telum. SEPTEMTRIO gelidus, ab ultimo terrarum recessu urget auxilia, ut maris æstus, frigore defervescant. Veniunt populi, quos inhospita tellus educavit, natura subduxit oculis, intrà sylvas abscondit, feris permiscuit: quasi erubesceret

Infelicitas temporum in Polonia.

C vi-

videri tam truces vultus. Tot Gentes, Regnis expugnandis ſigillatim ſuffecturas, à limitibus propulſandas; tot bella ex bellis naſcentia, etiam adulta, Polonia ſimul excepit Regni viſceribus, aluit; Mater ſuarum calamitatum & Nutrix; ſola inimica ſibi: hoſtem, nullum; amicos appellabat. Amicorum erat, ne profudiſſe convincerentur, ſangvinem exſugere; ne afflictionis vox aliqua perſonaret; Urbibus tormenta (caſtrenſia quoq;) ſubducere. Meliorné Sors Domeſtica? nunc præceps, nunc pendens; aut metuit caſum, aut fraudata cadit; incerto motu confuſa cuncta, ſciſſa, partes in ipſis partibus. Quantum inde Religioni, Libertati, Majeſtati vulnus? ſed manu ſuſpensâ tractandum; ne vel memoria vulneret; vel ſtridore calami ſuſcitetur, quod ſopitum: noſſe, fuit nimis.

Infelicitas hæc, jam ſublata.

Poterat mundus exſpiraſſe ſub tantis fatorum ictibus, mergi tempeſtatibus, incendiis exuri. Vivimus Poloni, ſupernatamus, lucemus. Ridentur lacrymæ, atq; deplorata ſors à vicinis; Terror inſultatione obteritur; ſemina belli, dant auream pacis meſſem AUGUSTO: domi proſpera, foris

pla-

placida. Manet incolumis, & aucta firmitas Fidei, reverentia Throno, Senatui Authoritas, ſecuritas Libertati. Siccum eſt, ubi quondam Balthidis furebant procellæ. Virent campi; ubi nivoſi caſtra Septemptrionis. Examina illa exercituum, avolarunt more apum, relicta dulcedine. Reddita uni ſibi Polonia, novitate miraculi, eadem; nihil terris deceſſit, nihil imminutum Provinciis; talem reliquerunt Patres, ampliorem Nepotes recipient. Integritatem Poloniæ gratulare, diviſa Hiſpania; pluribus illa ſcindi non potuit enſibus; diſſecta es paucioribus. O pavorem præteritum, ſecuritate quavis appetendum! Illuſtres tenebras! quibus nos, tam clarus finis eripuit. Dignum opus, Authorem habet DEUM. Quem verò ipſius DEI Miniſtrum? Ex Nominatiſſimis Præſulibus, Unum. Teſtantur id, Reipublicæ graviſſimi caſus, huic ſoli reſervati; dirempta Regni divortia; Immunitas Eccleſiarum ſtabilita, propugnata; calamitatibus inhibitio impoſita, quam reverentur, neq; audent transgredi. De Stemmate Junoſzæ, Illum teſtatur manſvetudo impreſſa Leoni, fæderatiſq; victoriis: fracta quoq; in lana molli fulmina.

Illuſtriſsima Domus Szaniaviana tollendæ infelicitati deſtinata.

SZANIAVIUM declaravit Cæleſte prodigium. Res ex ſe pulcherrima, deſcriptionis ornamento non eget, contenta referri; memoriâ non excidet, labentibus annis; numerat ſecula, & quaſi ante dies totidem peracta narratur; antiqua, ſemperq; recens; Angelicum ſortita & præconium & ævum, ſeneſcere nequit.

Sub Leſcone Nigro. An: 1282.

Regnabat Leſco, Niger ab æſtu bellico, ſed formoſus triumphis; pallorem neſciens timidum; ad limatam gladii non ſpeculi aciem excultus, ut placeret victoriis: placuitq; ſpectaturæ, avelli non poterant comites perpetuæ. Colore illo, vultum pinxit, aut Sol Apelles in caſtris; aut ſerenior fumus Urbium hoſti exuſtarum; aut fortior ignis intus accendens mentem. Frons atras nubes collegit? fulminabit; tenebroſa fuligo ſparget funera; NIGRVM cave Barbare. Laceſſunt tamen Jazyges; & jam diffidentes audaciæ, ſe vinciunt invicem, ne libertas fugæ, rumpat pugnandi neceſſitatem. Frendet inani terrore, conſtrictus furor, immanitas catenata, & arrogantia priùs captiva, quàm capta; indigna duci ante triumphalem currum; non pugnam ſed pænam exſpe-

ſpectat in vinculis, conſcientia temeritatis convicta. Cracoviæ Tribunali aſſides LESCO Juſtiſſime; Decretum mortis expedi, promulgare jube. Accelerat; feſſus longo itinere, ſomno ſubmittit oculos; ſuaq; non Miltiadis trophæa ſomniat; quieſcens vincit, cui bellicus labor, quies. Quid agent Vigiliæ, ſi triumphat ſopor? Dux Cæleſtis Militiæ, dormienti, victoriam denuntiat; venit, nondum vidit, clauſis oculis vincet. Evigilat, ſonante adhuc in auribus MICHAELIS tubâ: imminet Gentis totius agonia, exſpirant Jazyges, ad unum interfecti, nec uno Polonorum deſiderato! Fuerint aliæ Fortitudinis Victoriæ, Imperatorum vulnere, glorioſè mutilæ! Hæc, integritatis victoria ſub NIGRO, ſpecioſior ſine vulnere; facie non cæsâ amabilis; auribus non abſciſſis, meliùs audiet. Fuerint aliæ ſemel aut ad tempus victoriæ, aliquando vincendæ. Victoria hæc, aſſidua, æterna; nam quotidie vincitur, ſemel ita victus, ut nunquam reſurgat cum Antæo. SZANIAVIANÆ Domui hæc debetur victoria; proinde Conſtans, præſcia CONSTANTINI, militans ejus Nomini. Vix enim D. MICHAEL diſparuit, MICHAEL PASCONꝰ

Dū S. Michàél præ-nuntiat Victoriam,

Michàel Paſconus ſtrenuè certat.

D appa-

apparuit; Unus, Heroum millia; multus instat Hosti, & libertate cædis exultans, per infestas acies volat interritus; densissima quæq; penetrat in ictu oculi, tanquam invulnerabilis, dejicit, proterit. Miles è Cælo fulmineus, an in terra Cælestis! Pendeo dubius, in quam partem præponderem Tuâ lance ARCHANGELE: Dicamné? Tuo ense fulgurabat ille; an? ipse Tu manu ejus pugnasti? Dicamné? arma Tua induit ille; an? corpus ejus Tu subintrasti? Tanta vis ex oculis, agilitas in membris, fortitudo & alacritas voluntatis, promicabat è pectore; tanta præstitit: quanta decuissent Legionum Supernarum Ductorem. Eundem fortè, vidisti somnians & experrectus Nitidissime LESCO. Ideoq;, MICHAELI Cæliti, dedicas trophæum, Lublini Ecclesiã, ubi Aram stans ipse ferreus inaurat. Terrigenæ MICHAELI, addicis SZANIAWY, latè patentes FUNDOS. Ista fuit, per tot prodigia (prodigium singulari numero dixerat, declinans auxesim, vera etsi minor semper Vestris meritis laudatio) Nominis tunc novi SZANIAVIORUM, sed antiquissimæ Nobilitatis FUNDATIO; non quâ redditi Nobiliores, sed Notiores estis.

*In præmiũ SZANIAWY obtinet.*

*Inde SZANIAVII.*

Illic,

Illic, enutritus Junoſzæ Agnus herbâ, quam porrexêre, flexo genu ſuccumbēdo Jazyges. Illic, ê vagina Hoſtili adverſùs Paſconem SZANIAVIUM extrahi recuſantes gladii, Polona, in aratra recuſi, dum ſcindunt arva; felicitant ad ſegetem quietis Publicæ. Illo ſolo, Conſangvinitatis Arbor Præſtantiſſima, Virtutum radicibus nixa, ad tantum robur invaluit, protēdes Ramos in Regnum, Magnumq; Ducatum. Sed priùs cum ſtirpe tota debuiſtis exſcindi Jazyges; ut pateret: SZANIAVIOS procreari ex nihilo hoſtium. Plura, utinam revelaſſes arcana, Invicte LESCO! quæ Tuus enarravit MICHAEL. Deſcenderat ut appellarentur SZANIAVII? è Cælo Nomen ſecum adtulit. Libram tenebat? Vos, meritis graves ponderans, Terreſtres atq; Tribunalis Regni Judices. Stellatum vibrans enſem porrigebat Vobis, Heròës Dexterrimi, Cæleſtis cohors. Nobilis galea, caput coruſcâ gemmarum luce irradians, Te præferebat Illuſtriſſime Lublinenſis CASTELLANE, Caput Conſiliorum ſalutarium. Loricæ auro, aurum addidiſti, Illuſtriſſimi, Excellentiſſimi SKARBEK Archiepiſcopi, SVFFRAGANEE Leopolienſis Illuſtriſſime;

Cum Victoria,

Nomen Cælo allatum



me;

me; Cor Scientiarum omnium & Virtutum; medius inter Stellas, hinc Dominici Frontem, inde Carmeli Supremum Verticem coronãtes, Lumenq; Canonicũ Cathedræ Vladislaviẽsis, ipse Sol Theologicus; pectore dignꝰ, aut AQVINATIS, aut MICHAELIS; imò: utriusq;, ex utroq; Angelicus. Inscripti erant vaginæ, audaces Ensiferi; armis reliquis, Tribuni, Venatores; totus MICHAEL cataphractus, constabat SZANIAVIIS. Quis verò splendor insolitus, oculos alliciendo, Umbone reverberat, adeò, ut resplendeant Montes Albani, & septicollis Roma? Intuitus es, REX; legisti CONSTANTINUM FELICIANUM, radios dirigentem. Parte unâ, in MARTIANUM Fratrem Illustrissimum, Regni Secretarium; cujus Fronti laureatæ Parisiis, Tiaræ imminent; postulant admitti. Parte alterâ, in selectissimum Par Nepotum, æquale magnis Honoribus, jam Virtute summâ, & crescens adhuc. Videlicet in JOSAPHATUM Augustoviẽsem, (ut Regem corde referat CONSTANTER:) & FABIANUM Radziecensẽ, (ut Regno cõsulat FELICITER,) Capitaneos. Istud Ancile, SZANIAVIANÆ Domui concedetur ad custodiam, repetendum

dum

dum à Patria. Cui vindicandæ Manu, Primus SZANIAWSKI PASCONVS, eſt Gladius; Eidem defendendæ CONSILIO, clypeꝰ erit SZANIAWSKI Antiſtes. Venient infelicia tempora: habebit Polonia, quo retundat. AUGUSTO II regnante, orietur iſta CONSTANS FELICITAS. Talia ex Divo MICHAELE intellexiſti LESCO; & propriis licèt ſaturatus victoriis, appetebas ætati Tuæ; gratulabaris noſtræ. Quodſi tunc arcana felicia Te latuerunt; nunc Orbi patent. Conſpexerit quispiam acriori pupillâ in Scuto Achillis, omnes futuri ævi Cives, & ſerò venturam poſteritatem. Clariùs cernuntur SZANIAVII Bellatores, in Mucrone MICHAELIS; Arbitri Juſtitiæ, in Libra; in Caſſide muniente Caput, Conſiliarii, Prælatiq́;; in Pectore, Conſecrati DEO. In Scuto fulgentiore, quo Genius Tutelaris protegit Eccleſiam, Regna, Liberamq́; Vocem Angelicam; ſpectaris manifeſtus, Præſul Angele, Cuſtos Religionis, Regum, Libertatis.

Omen de Celſiſſimo, è Domo Szaniaviâ.

Peracta eſt, celebranda inceſſanter, Apparitio Cæleſtis, & ſimul Victoriarum, ac SZANIAVIANI Nominis. Expectabat ſecula, magnæ gloriæ capax, plena Virtutum,

Expectatus à Domo virtuoſiſſima.

E ideo-

ideoq́; vacua vitiis Domus, ut Regno daret Fortunam; neq́; sibi aliam investigabat solicitè. Maximæ illi opes, opem dare Patriæ; innoxiæ divitiæ, nullius paupertate auctæ; aurum purissimum, quod non eluebant subditorum lacrymæ. Nullum interim ampliandæ Reipublicæ tempus vacuum admisit; post excidia Jazygum, lauros metere assveta. Quod verò laborum expetiit præmium? Labores novos. Excisâ totâ Gente, Martis Vicum, SZANIAWY possedit: Gentes iterùm exscindãtur, aut, si fines ingressæ Polonos, excedant; ut promptè succedere se possessionibus novis, concedat Gens SZANIAVIA. Videt gaudetq́;, præmiis mentes animari ad fortia; sed gaudet magìs, præmiorum illicio, se non egere. Mundissima Domus, in qua, etiam Fasces Honorum illati, nihil immundum inveniunt, quod everrant. Vetusta, sed firma; suis consistens viribus; soli gladio vel hastæ, ad laborem innixa. Perpetuo motu pro bono publico, assidere Curulibꝰ meruit. Sed, satis commẽdatur candore suo, Junoszæ lana; tingantur coloribus minùs nitida. De se purpureus est ac pulcher sangvis puræ Nobilitatis, Regum Elector ad purpuram, eligi & re-

gna-

gnàre capax. Tantanè SZANIAVIOS tenet dignitatum moderatio? Patres Patriæ dicē. di à ſeculo, Filiorum pietatem & obſequium ſibi vendicant! Non ſunt teſtudo, portans nōniſi Domum ſuam; ut Publicam omnium, portent in ſublime. Cæterùm implebunt deinceps Inſulas ac Senatum; quod non impetravit felix, extorqvebit infelix Patria. En Exterorum bellis trepida, Civium diſſidiis lacera, fatiſcens onere, accurrit, queribunda, inclamat: SZANIAVIA, Polonæ ſalutis Domus, in qua terrarum Fortunam DEUS condidit; quid moraris gaudia? Solem refugis? & coactæ undiq;, Libertatem cingunt tenebræ. Declinas Publicum? privata interim Bonis, deget Religio. Scindor Sectarum odiis, AUGUSTUM, Fidei Romanæ invidētium. Ne Schiſma invaleſcat contra Caput Coronatum; Septemptrionis invoco auxilia. Cernis vulnera: obvolve, Junoſzæ lanâ. Cōtexe filum de vellere, ac porrige, ut Labyrintho evolvar. Quouſq; Clypeum tegis, qui protegat? Redde Ancile depoſitum. Mea es FELICITAS CONSTANS, CONSTANTINE FELICIANE, quamdiu Te abſente infauſta patiar? Concuſſam, refove Tuo ſinu,

Recipitur à Patria.

nu Parentem; rebus fessis qvietem concilia. Invito ad summè ardua, Fortem; ad labores assiduos, Infatigabilem; ad intricata, Prudentem; ad ãbigua & difficillima, Sapientissimum. Versaberis inter formidolosa interrit9; metuenda, vultu nihil mutato terrens. Stant innumeræ adversitatum acies; congredere singulari duello, cum omnibus, etiam Unus. Leonibus colluctetur Aries; colluctari eum posse, ne dubita: est Tuus, ergo potest. Proposui gravia: levibus non movetur Gigas; & ærumnosa: illicium, attrahendæ Felicitati; & torquentia: ut extorqueam vindicias.

Accedit ad negotia Reipub: & Majestatis.

Audis: & cogitatione profunda (quemadmodum soles) usq; ad radicem rei penetras, Prudentissime SZANIAWSKI. Scilicet: Serenissimus AUGUSTUS, Augustanâ Confessione rejectâ, Saxoniæ suæ præivit exemplo; velox præmium in terris destinavit illi DEUS, Poloniæ Coronam. Libera vox dedit; spreta Hæresis furias Orco evocat. Itaq; agitur causa Religionis Libertatis, non tantùm Regis. Quidni obsequar Patriæ? ne corruat, in amplexum ruo; in partes AUGUSTI totus concedo, per arma, frementes fluctus, terrarum pericula. O quãto

to gaudio! venientem intuita Majestas: dimidio curarum relevata. Corde recepit. Pendebat, præ foribus Pectoris, vellus aureum; intima, SZANIAWSKI tenuit, noscendus è Stemmate; neminem excludens ab amore AUGUSTO, quem, & in absentes ampliavit: ut faterentur cuncti, adauctam ex illo, sibi quoq; Felicitatem. Patuit statim, Reipublicæ accessisse, designatum à Divina Providentia; quæ, Regna calamitatibus obruta, volens conservare, imò sublimiùs erigere: Viros eligit, dotibus instruit non cõmunibus. Emicuit enim SZANIAVIÆ Mentis lumen insolitum; quod præsentia perspicit acriter, expungitq; si nocent; ventura prospicit à longè, ne possint nocere, cum venerint; dolosa comprehendit, & cassibus iisdem implicat; latentia inimicorum consilia, evidenti luce perstringit. Quis tanta, & majora docuit? ipse DEUS. Gallia, Italia, Te peregrinum non vidit, optat domesticum. Nihil de Vestro contribuistis Exteri; nostra ex integro est FELICITAS POLONIARVM. Quid non tentastis fata invida, ne CONSTANS esset? elusit minas, blandimenta rejecit, calcavit pericula, nec aspexit munera; & ferro in-



ex-

expugnabilis, & hastis argenteis; mille, pro Majestate incommoda, deliciis annumerans.

Subsistit in Castris Regiis.

Invigilabat Gothicus Leo, Junoszæ; felicior futurus Constanter, si habere potuisset CONSTANTINUM. Proinde agenda erat in castris vita; accessit illico Exercitûs corpori, anima; alis agilitas; militibus, Generalis amor; Ducibus, obses triumphorum. Primum omnium fuerat, certamen Te videndi; animus ad bella crescebat aspectu; & parata victoria, certasse Te spectante: addis enim suppetias Tuo Virtutum Exercitu, quem ducit Constantia, claudit agmen Felicitas. Ideo inter telorum jactus persistis Tui securus; tela quoq; AUGUSTO impendentia paratus excipere, Clypeus Regalis. Terruit Leo Maximus Pontifex enses Attilæ, ne caput Orbis amputarent; non timet noster Magnus Pontifex enses complecti pectore, ne Caput Lechiæ feriant. Mellifluo, Christiani Principes, Clavam Belli Sacri, obtulistis BERNARDO Abbati; si Religionis Bellum immineat, eligite Imperatorem, CONSTANTINUM Episcopum; sciet arma tractare, ordinare acies, multiplicare palmas. Cernitis, ût assvetus campo & æstui, eluitur imbribus, peruri-

tur

tur ardoribus, nec ſentit; quaſi, pro Eccleſia & Patria militantem, Sol non urat. Romanô ſaltem temperentur aſtra Galerô; ſuperimponat Ægidem Pallas; inumbrent lauri; Honorum Vittæ, Faſciæq;, ſudorem colligãt, inſerendum Coronæ, gemmarum locò. Iſto liquore oculos Fortuna lavet, deterſura cæcam caliginem; iſtis Faſciis, naſcẽs Pax colligabitur. Indignaris blandienti? jam eſto ſecurꝰ; morem geram Fortitudini; quod voluiſti, audies. Intẽde Titan radios, exere ignem, quo aurum excoquis; gemina efformabitur ſtatua CONSTANTINI & Felicitatis; illam Religio, iſtam Libertas colet. Frigetis flammæ? Exardeſcite; defluẽtibus genarum guttis, Cryſtallus eliquabitur; fiet ſpeculum Principum. Cælo ſudo cõparabitur ſudans Frõs; explicat Serenitatem Regno, pulſis nubibus.

Triumphabat ex armis, Conſtans animus; profligavit proprii amorem commodi, & (qui digladiari ſolent inter incerta) ſecum pugnantes affectus. Reſplenduit, erumpente luce ab enſium colliſione. Non tamẽ ſuperfluum arbitror, ſpectare, quàm liquidò monſtraverit, ſe non fluctuaſſe in aquis. Inundaverat Provincias tempeſtas ingens; nihil terris re-

Terris infeſtis, Viſtulâ tendit in Pruſſiam.

liquit tutum; infido elemento credere se debuit, fidissimus Regi & Regno CONSTANTINUS. Terræ nutant? Constantiam fundabit in aquis. Animi fluctuant? obfirmabit fluctus fidelitate erga Majestatem. Placidè suggeret Polono Vistulæ: influis in Balthidem, non Balthis in Te; neq; igitur influat in animos Polonorum. Ita CONSTANTINE, ubiquè saluti publicæ navas operam, nec desistes in nave; ut & nos, commodis affluamus, & in posteros redundent gaudia. Provehere; Patriamq; in portu fortunato colloca. Tu verò quem sideribus affixit (affinxit) antiquitas, Zodiaco recede Aries; onus impositum transportare non valebas; diffidens viribus tuis, decidit in Pontum, nomenq; addidit, naufragio suo. Aries JUNOSZÆ, Religionem; Libertatem, & Majestatem Polonam Constanter feret; ne metuant naufragium, procellas terrebit.

Extra limites Regni, degit aliquantùm;

CONSTANTINUM esse, probaverunt castra, fortiter; fluctus, pellucidè. Malorum finis, probavit FELICIANUM esse. Substitit ad Regni limites, Præsul Illustrissimus; Felicitatem introducet. Flos Procerum aderat, Rosæ Principes, & Apostolicus Nuntius;

tius Apoſtolicus; Tuus autem Felicitas Nuntiꝰ FELICIANUS, venturam ſpondebat maximè, (habet cum Cælo commercium) quamvis minimè ſperabaris. Felix Regio affinis! exemplar Conſtantiæ ſpectâſti, quod viſum, magìs expetitur. Miſiſſes utinam aliqua lineamenta! lineæ ſingulæ, delerent characteres infauſtæ ſortis. Audio reſpōſum: Apelles fruſtra conatus imitari Minervæ Caput, retracto penicillo, indignans exclamavit: Caput iſtud Dii pingant.

FELICITATEM, à Te promanâſſe Princeps, evidentiùs declarabunt ea, quæ ſoli Tibi propria, cunctis incurrunt in oculos. ac imprimìs Feliciſſimus ille dies Natalis Præſuleæ Dignitatis, qui primus Te Vladislavienſi ornavit Infulâ, cum jure ſecundo coronandi Reges. Dies, communis Boni Author, & Conſtans meridies; qui primitias ingenti victoriæ dedit; AUGUSTUM Auguſtiorem reddidit; conſummavit Bellorum curſum. O quantô magnificentiæ ſplendore celebratus! producite parem, Hiſtoriæ. Tempus erat Conſilii Magni; Optimumq; Conſilium Inauguratio FELICIANI, ut exauctoretur infelicitas. Conſecrator, idem qui primus eſt

Cōſecratus in Epiſcopũ Vladislavi: Leopoli.

G

ad

ad imponendum Regibus diadema, & quaſi Regum Pater, Primas Regni STANISLAUS SZEMBEK, Titulis & Virtutibus Florentiſſimus. Aſſiſtebant, Latini Græciq; Ritûs Tiaræ: Florentinum agi putaſſes Concilium, & præſidente SZEMBECIANA Roſâ vernare Unionem; ver inchoari ab AGNO JUNOSZÆ. Oriens, Occidens ac Septemtrio accurrit, ut conſecreris gratulationibus Gentium ferè omnium. Felicibus primordiis intereſſe, non poteras per locorum intervalla Beatiſſime CLEMENS XI; quia tamē ſolennitati locum, arcana deſtinatio, Leopolim aſſignavit, Montibus ac Stellâ inſignitam; creditus es allucere Tuo Stēmate. Referamné plenum Liberæ Nobilitatis congreſſum, Senatorum frequentiam, Ducum & Militiæ numerum? Tantâ lætitiâ Te ad Epiſcopalem Aram promovebat, ſimul detinebat Reſpublica, ut per denſa ornamenta vix poſſes exire;

Adeſt Carea Májeſtas.

niſi ampliaſſet viam Sereniſſimus è Septemptrione PETRUS. Quocunq; moviſti greſſum; ibat, nunc dexter, nunc inſiſtens veſtigiis; aliquando præceſſit reverenter, ſolicitus, nè primus confertæ multitudinis impetus, in Te rueret. Quid de reliquo interro-

rogabo Satellitio? Majeſtas inſervit, ſuos Populares docet, ut diſcant obſequia! inter Avium oblata munera, expetit ſuam præſentari Aquilam! bellicos progreſſus commēdans, incedenti adſternit Vexilla. Nec vacuis tantùm coluit manibus. Depromitur monile gemmeum, artis & pietatis opus; Pectoris inſigne Præſulei, non una millium decade Crux æſtimata: illam, & ſe, Cordi affigit, inter adamantes CONSTANTINI numerandus perenniter. Spectabas omnia, è ſeptem collibus, Romana Religio; altior incede gaudio: Magnum Ducem pediſſequum nacta. Solve in plauſus auream vocem Libertas: Tuus eſt honor, impenſus honor Senatori. Triumpha Sereniſſime PETRE; cōfeciſti longum iter gloriæ. Veſtigia numeravit Mars Chriſtianus: totidem hoſtes proterentur. Secutus es Præſulem? Te ſequentur victoriæ; præcedebas? & illæ, Te prævolabunt. Tua Crux CONSTANTINUM irradiat: in hoc ſigno vinces. Hercules! Ille, ille plenus virium, potens armis & exultās, trophæis elatior, qualis Herculem deceret Exercitus; qui tamdiu quærebat Vinci, quandoq; Victor prælio; victus eſt bello. Venit in Thraciam

*Splendidam Crucem offert.*

*Vincit ad Pultaw:*

ciam Nuntius, ipſe Coronatus. Victoria ſolennis, quo apparatu conſpectui Tuo ſe præſentavit Magne Triumphator? An viridi laureâ præcinxit amænam frontem, dexterâ palmas prætulit ereptas hoſti; an appendit de humero Leonis exuvias? Vulgaria reſpuens ornamenta, Infulam impoſuit Capiti; Paſtorali Scipione ſuffulta, properabat in amplexus: porrexit ad oſcula, Tuis radiantem gemmis Crucem; ad quam conjurati venerunt, nec deſiſtent venire triumphi. Adjecit quoq;: ſe in Metropoli Ruſſiæ initiatam eſſe, dum Illuſtriſſimus SZANIAWSKI conſecrabatur. Illius enim Fortunata Inauguratio, ſequentes inauguravit bellorum ſucceſſus. Annuis Victorum Sereniſſime, prædicas ubiq;; etiam Pariſiis, FELICIANUM Felicitatem eſſe Reipublicæ, promulgâſti. Unus communi lætitiæ non aderas AUGUSTE Sereniſſime; contuliſti Infulam, negâſti præſentiam; nondum vides, Meritis tantis, aliquid Te dediſſe. Cæterum PRÆSUL Illuſtriſſimus maluiſſet Præſentiam, quàm Infulam; Te optat, non Tua dona. Abes AUGUSTE? redibis Auguſtior. Dignus regnare non ſemel: regnâſti electus, regnabis poſtulatus.

Ma-

Magnum Consilium agitatur; Illustrissimum SZANIAWSKI cõsecrat ARCHIPRÆSUL ROSEUS; Tuî autem desideria efflorescunt recentia, tanta, ut, si nondum fuisses electus, eligerent nunc Reipublicæ vota. Præstolaris in Saxonia, donec Vladislaviensis Tiara imponatur Meritissimo; ut, quæ priùs Te coronaverat, eadem semper coronatum colat. Veni REX Optatissime, REX ingenitâ Majestate. Spirant unum, Celsissimus PRIMAS, & Illustrissim9 VLADISLAVIENSIS Episcopus; junctis Manibus Diadema tenēt. Id mente perspeximus, dum celebraretur CONSECRATIO; ab isto Die, AUGUSTIOR eris AUGUSTE.

Plura meditantem interpellat, dicereq; se jubet, Unum quod sufficit elogiis omnibus, etsi præterea nihil addatur: quo superas Teipsum, Felicissimus non tantùm FELICIANUS, Constantissimus non tantùm CONSTANTINUS. Quamvis enim egisti multa fortiter, omnia sapienter; in hoc tamen (comparatione non odiosa,) ipso Te fortior, ipso Te sapientior. Æstimo Te, quæcunq;, Actio esse SZANIAVIA, nosceris ex pulchritudine; Unius tamen pretium inveni-

re non possum. quælibet, Stella es; Una tamen, est Sol; vel si quælibet, Sol es? Una, est Sol triplex. Quæ verò illa? neminem latet., signat se luce suâ. Prodierat in Campum POLONIA; Regni Aquila provolavit; Magni Ducatûs Eques accurrit; explicuerunt Vexilla Provinciæ, Terræ, Districtus; Manipuli stetêre Militares. Ut sanciretur Fædus æternum inter Majestatem & Libertatem; negotium grande, poscebat FELICIANUM Libertati; CONSTANTINUM Religioni; REGI FELICIANUM simul & CONSTANTINUM. Eundum erit per obvios Exercitus, per enses & fulmina; ibit Ille ad Castra Reipublicæ; irruent difficultatum agmina; facilitabit Prudentia; propinabunt se labores amari; amor exhauriet, sibi exsugens fel, Felicitatem dulcem reservans Patriæ. Virtutis hujus prodigium, naturæ prodigio illustravit cælum; ut spectaret è proximo. Priusquam enim Celsissimus movisset Gedano, tres in âère defixi steterunt Soles, atq; simul Iris, vario splendore micans; prospectabant viam, quâ PRÆSUL iturus erat, Templumq; Divi LOIOLÆ quod subintravit, itineri arduo faustitatem precatus;

Celsissimus feliciter intervenit internæ Paci Reip.

Soles tres apparent Gedani & Iris.

Stan-

Stantis erat Cæli species; impendens terræ, non cecidit, secura Felicitatis. Lux cõtexta, paribus videbatur distare spatiis, æquali & amplo lumine, non tanquam fulgur scintillâ contractum. Injecit oculis illecebram, decus ex uno multiplex. Sed quid portenderet? hæsit mens anxia. Delectat adhuc pupillam immittere radiis. Illustrissimi Triarii, non retundunt intuentem, obtutus hominum benignè receptant! Ereptos olim dies, cum auge restituunt! In populorum gaudia replicantur, propendent in terrarum commoda! Solis uni9 Lateri adstant; sinistro, Cõstanter; dextro, Feliciter! Iridem adducunt, præsagio venturæ Pacis. Tuus, per tria Lumina signatur Vultus, Antistes Illustrissime; Tuæ relucent Virtutes; enitescunt opera. Legimus ad lumen triplex: CONSTANTINUS FELICIANUS, hâc perget viâ. Tribus istis: Religioni, Libertati, Regi desideratam secum adferet Pacem. Vix legimus; disparuerunt Soles; citò abeundo, festinantem expressuri PRÆSVLEM. Ipse tamen expressit longè meliùs, quàm magnis properaret passibus, utpote Apostolicis; Ore suo testimonium dedit clariùs, quàm Ore solis. Incipio, quod &

pleriq; adhuc fortasse ignorant; sed qui Te Præsul reverentissimè colunt, oblivisci nescient; agnosces veritati consonum esse, gratissimum Pietati Tuæ. Ascenderas currum velociorem curru Triptolemi; unà Tecum provehebatur Pax publica; comitabantur vota, omina; quibus dixisti: *aggredior iter, animô, quô Xaverius Indias.* Præclarum profectò, factisq; par dictum; aureô notandum stylô, ne oblivione fugiat; prælô gemmarum Indiæ, imprimendum; prodiisse dignum ex ingenio sinceri candoris. Resonet in auribus Orbis totius; lingvìs prædicetur Gentium. Audivit istud, annotavit, cæli particeps Divus; gratulatusq; sibi comparationem ex imitatione, Superos ad congratulandum invitavit; & reponentibus: Celsissimum SZANIAWSKI, esse CONSTANTINUM FELICIANUM, non XAVERIUM; respondit: est Ille utiq; CONSTANS FELICITAS POLONIARVM; Nomen istud & Rem, Patriæ dedit. Cæterum, si consideremus alacritatem ad labores, pro utilitate Orbis Lechici, assiduos; est XAVERIUS, nesciens satis; decumanos fluctus frangens; in alto cogitationum de sublimi gloria Reipublicæ; penetraturus usq; ad Anti-

tipo-

tipodas, ut, exulantem, à finibus ultimis reducat fortunam Regni; submittit humeros Poloniæ sustentandæ; nec fatiscit. Isti sunt sensus profundi, sententiæ à Te latæ PRINCEPS, quam proclamamus ubiq;. Agnoscatur Giges ex umbra; Tu agnosceris ex lucidissima Voce. Una tantùm, suboriri posset, XAVERIO, sed delicatior querela. Scilicet: quod agendum esset decennio, perficis uno anno; & Mense vel die uno, quod Menses vel dies postularet decem; quò prolixior sit bonorum usus, tempus infelicitati abbrevias. O elegans, Episcopale Breviarium! Insiliit Curtius in subterraneam specum, ne Roma corrueret; insiliit Æneas in Trojanum ignẽ, ut Patrem, grandibus lacertis exportaret. Non tamen illis, PRINCIPEM comparaverim; sed XAVERIO eunti sub terras, Indiamq; gestanti. Adesto, penicilli subtilitate, Celeberrime Zeuxes; colores, ab Indis ultra maria exquisitos, adhibe, artem exere, insuda operi, æternitati pinge, PRINCIPEM cujus Humeris innixa Polonia, ore sereno ridet pericula infelicia. Subscribe: Celsissimus SZANIAWSKI, Patriæ XAVERIUS. Imago hæc, in Sacrario Libertatis, in Augustali Cõ-

 silio-

ſiliorum, in Conclavi Religionis, pendeat filo, quali pendent prædeſtinata, nec lædunt Libertatem. XAVERIUM auſcultabam Tuorum Interpretem Verborum, Eloquentiſſime Antiſtes; & jam ſplendidiſſima ingrederis caſtra, curru ſolis invectus, an velocitate Xaverianâ? Jam tubæ ſonant, eædem: pro REGE; quæ: pro LIBERTATE; omnes: pro RELIGIONE. Nectit Pax Oleas; inſignes Exercitus promoventur Varſaviam, quaſi ex Campo Martis, deſcenderetur in Campum Electoralem. Imò Thronus ponitur; in Throno Rex novus collocatur, Amor; in una ſede morantur Majeſtas & Amor. Majeſtas, nihil habet, cui diffidat; Libertas, nihil habet, quod timeat. Domi ſuæ Libertas, in ſinu Libertatis, Majeſtas poteſt dormire: utraq; ſecurè. O quàm Auguſtè ſub AUGUSTO II, geminatur Unitas; &, Columnis duabus firmiter ſuffulta, ſtat CONSTANS FELICITAS. Tres in unum convenerunt Soles; Religio, Majeſtas, Libertas; utq; convenirent, attulſit Iris, JUNOSZÆ (non Junonis) nuntia.

Tantumnè verò POLONIARUM, Celſiſſimus PRINCEPS, eſt CONSTANS FE-

LI-

LICITAS. Augete titulum Regna; (minui enim non potest) Orbis Caput addat: est CONSTANS FELICITAS POLONIARVM, & ROMANA. Evincet facilè. Enata sūt bella, in perniciem non tantùm terrarum, sed etiam in excidium Cæli. Nuperna Hæresis exorta cum Jansenio, senio commendari affectans, plus quàm seculum excogitavit errorum. CLEMENS XI numeravit Propositiones centum & unam; damnavit Bullâ, quæ incipit, UNIGENITUS. Hanc ita dilexit, sicut Pater Unigenitum; & Primogenito Ecclesiæ, desideranti misit. Hanc LVDOVICVS XIV, Bello Magnus, Pace Major, Religione Maximus, terras relinquens, exornādæ Infantiæ Tuæ reliquit, Rex Christianissime. Gestabis, appensam collo, etiam Vir; Prætextam induens, quæcunq; doli prætexunt, rūpes; & nūc Manu tenerâ elide angvem Hercules Gallicane. Sed Quesnellus malorum Veteranus, abjicere tentavit Bullam; & in Uno ex Albanis Montibus, tollere Unigenitum; Galliarum Liliis, quæ non nent, aranearum supponens fila. Insurrexit contra Stellam ignis fatuus; intumuit fastus contra Montes Olympo affines; ab Aurora, diem sibi dici,

Bullam Vnigenitus propugnat.

I 2 te-

tenebræ nunquam vellent. Itaq;, cui diſplicuit CONSTITUTIO UNIGENITUS; conſtituit producere multos genitos è ſuis erroribus, aut eorum Patres & Patronos. Invaluit rumor infauſtus: Oracula Summi Pontificis, in Polonia non audiri; nec recipi à primis Eccleſiarum Luminibus, Albani Sideris edicta illuſtria. Dedecus affictum, doluit Religio, quia Catholica; Rex, quia Orthodoxus; Libertas voluntatis, quia ſpecialiter à Quesnello impugnata. Maculam deleverunt, Veſtræ, Celſiſſime PRIMAS, Celſiſſimi, Illuſtriſſimi ANTISTITES, Literæ, an Gemmæ Annuli Piſcatoris? elogia erant Primi Capitis, digna promulgari è Cathedra PETRI. ATHANASIUS, AUGUSTINUS, HIERONYMUS, porrexit Vobis calamum; Sapientia, Zelus, Pietas, tali ſcribunt Stylô. Invitus audi Quesnelle: Montes Albani, ſunt Hæreſum tumulus; Enceladorum oppreſſio, ne audeant impugnare Numen; ſunt juga, rebellibus imponenda; hìc, aurifodinæ Veritatis, rupes infracta & Petra Eccleſiæ; ſunt gradus, per quos, CLEMENS vicinum ingreditur cælum, conſulit, priuſquam decernat; non ſomnia ſunt bicollîs Parnaſſi, quæ communicat Trias

Mon-

Montium. Stella, quæ radiat Sole clarior, & Reges ducit, & Sapientes antecedit; ut, vigil de nocte, nebulas pellat. Eſt lingua Cæli: DEUS loquitur in CLEMENTE. Quid, Sideri puriſſimo, crinite Cometes obſtrepis? rectis oculis intuere Cynoſuram, ne aberres. Serenum eſt ad meliora calcar; quid recalcitras? Noverint Univerſi, Lechiam ſocialem Romæ. Quod eradicat Campus Floræ; idē expungunt PRIMATIALES Roſæ. Paſtoris vocem, ſequitur JUNOSZÆ Agnꝰ; & monſtra terret. Fulminat Vaticanum? adſunt Miniſtræ Fulminum, Infulatæ Polonorum Aquilæ. Tonat adhuc! intremiſce Quesnelle; appellaſti ad Concilium, ibis ad Comitia; quem Romana ferit, percutiet Conſtitutio Polona. Id ſpopondit Celſiſſimus SZANIAWSKI; Sponſionem, Religio tulit Romam. Felicitas eſt noſtra, inveniſſe Fragmentum Epiſtolæ: *Si, execrandus rumor, ante impoſitam Comitiis Regni Coronidem, divulgatus fuiſſet; ſicut laborioſo conatu, contra Hæreticam pravitatem, zeloſa Conſtitutione Regni deſudavimus: ita paribus viribus, deteſtando ſubnaſcentis mali auſui, aditum æternâ Lege præcluſiſſemus. At, ſpondeo, etiamnum non defuturam omnimodam diligentiam; quæ, tam Obſervantiam Sanctiſſimæ Conſtitutionis Unigenitus, promoveat; quàm adverſantium eidem nefandam temeritatem*

*propulset.* O quantum pondus Fragmẽti unius! premit Hæresim. Quot numerantur puncta, pugiones totidem, cõfigendo errori; & quot apices, totidem diademata Beatissimo Patri. Poterat, Epistolæ, non subscribi Nomen: adhuc enim legeretur CONSTANTINUS ex Pietate Forti. Ut autem legatur FELICIANUS, appone Manum Polonia. Fidebat Vestris erga Romam affectibus, qui dedit Sponsionẽ; implete illã Equites Nobilissimi, Amplissimi Senatores, AUGUSTE Serenissime. Tuum CLEMENS UNIGENITVM suscepit, exultans, quasi oblato Regno; Tu CLEMENTIS UNIGENITVM Corona Votis Civium. Una, Religionis & Regni Constitutio, prosperis utriusq; successibus incrementa sumet, simulq; incrementa dabit. Felix prælum! quod, imprimendo Statuta, exprimet: Ecclesiam & Regnum Nostrum, conjuncta esse.

Assumitur in Episcopũ Cracovi.

Tam pia, Benignissimi Præsulis, in hostes Fidei, severitas, meruit Ducatum Severiæ. Hunc, & Craçoviensem Tiaram, non postulanti, diu renitenti obtulit Serenissimus REX. Annuit CLEMENS XI, rem expediri fecit in Sacra Purpuratorum Patrum Rota. Hono-

nores novos illuſtrabat dies SS, PETRI & PAULI Apoſtolorum; nimirum: adeſſe voluerunt, Principes, Principi; ut Unus Mitram, alter Gladium, porrigeret; Invitatos crediderim à Divo STANISLAO; qui Succeſſorem ſibi CONSTANTINUM ſortitus, non dimittit à Latere. Nempe Undecimâ Aprilis, naſcitur Divus Martyr; Duodecimâ Menſis ejuſdem, ſuccedit Sanctus CONSTANTINUS Epiſcopus; nequeunt à ſe divelli; ut proximus cenſearis, quamvis tot præiverint; habet quod in Te ſuſpiciat & amet. Scilicet amat CONSTANTINUM, (qualis fuerat & ipſe) ſuſpicit Felicitatē ad flectenda corda Regum. Alliciunt Apoſtoli, Divus Martyr invitat; nondum tamen moveriſe patitur Liberaliſſimus PRINCEPS; donec Tibi Conſtantem Felicitatem Gedani firmet, minima Societas JESU! latentem in Urbe, producit in Solē; Regio Sacello Cathedræq; inſerit; Sciētiis huçuſq; profanis Doctrinā Sacrā aſſociat, Fundator Ampliſſimus; argento ad diſcendum trahit; ampliando Mari Theologico Euripum adjungit, ut ſemper influat; Soli Aquinatico, in Signo ſui Arietis, ponit Stationem. Legite Doctores, enarrate

11. Aprilis natꝰ S. Stanislaꝰ E.C. 12. S. Conſtantinus.

Fundat Theologiā, Philoſophi Gedani.

*Aram, Scientiis inaugurat,*
*Illustrissimꝰ Excellentissimꝰ Reverendissimꝰ*

# SZANIAWSKI;

*Vladislaviensis, & Pomeraniæ,*
*Numinis Dono:*
*Insularum omnium,*
*suo Merito*

## *P R Æ S V L.*

*Patriæ,* FELICIANVS;
*Religioni,* CONSTANTINVS;
*Cui, par Zelo,*
*imponit Crucem Cathedris,*
*non minore gloriâ,*
*quàm Ille, Corônis.*
*Itaq;, sacræ deinceps erunt;*
*Hæc, prima est Consecratio,*
*Pontificis Manu aurea.*
*Primus Aries, contra Veritatis errores:*
*dum, Theologiæ Librum, aperit AGNVS.*
*Adeste Divi,*

## CONSTANTINE FELICIANE,

*Vt, summus Apex Doctrinarum, Surgat*
*Constanter Feliciter.*

Differre longiùs non potes, Divi desideria STANISLAI, & publica, Celsissime PRINCEPS. Prospectat venientem Aquila Regni, quem Serenissimo AUGUSTO Reges gratulātur omnes, adeò ut vox viva possit audiri è tumulis. Imple Manum Scipione, quô Poloniam fulcies; Infulam impone Capiti; quam, Coronandi Vertices, Regum Filii, gestaverunt locò Diadematis. Expectat, contractus intrà Tuam Diœcesim Senatus, Poloniæ totius compendium, & primi Murices. Intuere Illustrissimum Vavelli Collegium; Episcop9 es Episcoporum, circumdaris quodam Infularum Concilio, undiq; congestæ, Tibi suîs illigantur vittîs; & Canonici, Abbates, Præpositi, sunt Senatores. In Tuo Templo, incipiunt esse Reges; postquam verò desierint, angulum sepulchro postulant: Regius est, qui calcatur cinis. Urbs, Urbium est Corona; Arx, Augustale Regnantium; cui, post flammas, Te veniente non deerunt radii. Flos hìc vernat Religionis; & Sacerdotii Regalis Dignitas Venerationem inspirat. Audi PRÆSUL, audi confessionem sensuum Populi; inter hilares lacrymas, tristia, isti rident; illi, etiam provocant. Isti asserunt circa Ingressus Celsissimi ad Cathed:

ca veſtigia Tua CONSTANTINE, Urbes & Templa conſurgere: illi aſſeverant: mala, etſi veniret, obterenda, dum FELICIANUS adeſt. Procede ſplendidus, Vultu quò diſſipas nubila. Tui tres illi Soles, oriuntur iterum, dum exoreris; & augent diem; Majeſtas iterum ſequitur Corde, quæ, Conſecrati, fuit Pediſſequa. Pulchriùs comitantur, dum abſunt, Exercitus illi, quibus educendis è Patria, Dux fuiſti Conſiliô. Quot notas, à Nomine Polono, avertere conatus es; tot in Te reſplendent Inſulæ; illaſq; Orbe claudit, pacifica Iris. Promicat è Pectore Crux, non jam adamãtibus, ſed victoriis; quas hortatu induxeras, aut prece. Ingens autem tormentum invidia, exploditur. Etiam Fama de Sanctiſſimi Electione, præſenti creditur invigilare Solennitati; jamq; Ori admovet Tubam: ut non aliâ, ſed eâdem, per Orbem Te promulget, & Illum; ut Novo Summo Pontifici, placeat primô Nuntiô Ingreſsûs Tuî. Meritis antiquioribus, CLEMENS Felicis recordationis, detulit Cathedram in Urbe Craci; recentibus, Papa Recentior, Felicius mittet aliquid ex Urbe Romuli. Minima Societas JESU, aucta Summis Celſiſſimi

PRIN-

PRINCIPIS favoribus, Memoriale Breve porrigit Famæ. Ille, Cathedram ingreditur, qui eſt Religionis Gloria, Patriæ Spes; Regum Securitas; Senatûs Magnificentia; Honor Nobilitatis; Fortibus Munimentum & Arma; Ingeniis Exercitatio; qui Hoſtilitates propulſat; Pietatem armat; Bellis, fortitudinem affert; Paci, Quietem; utriquè Felicitatem. Cujus:

*Pallia Præſulibus, vellus dat Regibus, AGNUS:*
*Deliciæ Domini; Deliciæ Populi.*

Breve iſtud Memoriale, Seminarium eſt ſequentium Panegyrum. Hactenus tantùm ſcripſimus Exordium Panegyrìs, continuandæ per ſecula. Continua nobis erit dicendi materia, PRINCEPS, qui ſequentib9 factis, priora vincens, eſt

CONSTANS FELICITAS
POLONIARUM.